MASTER NEGATIVE NO. 91-80190-10

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

GLEITSMANN, ANTON

TITLE:

DE PLUTARCHI IN LUCULLI...

PLACE:

MONACHII

DATE:

1883

Master Negative #
91-80190-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88P71
KZ
v.2

Gleitsmann, Anton,
De Plutarchi in Luculli vita fontibus ac fide. Dissertatio inauguralis quam...scripsit Antonius Gleitsmann... Monachii, typ. Cur. Wolf, 1883.
29 p. 22 cm.

Thesis Erlangen

Volume of pamphlets

127967

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8-16-91 INITIALS M. B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Plutarch
Vitae. Lucullus
40,5
8 PC1 L22

DE

PLUTARCHI IN LUCULLI VITA FONTIBUS AC FIDE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN ALMA LITERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICO-ALEXANDRINA ERLANGENSI
RITE AC LEGITIME IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ANTONIUS GLEITSMANN
MONACENSIS.

MONACHII 1883.
TYP. CUR. WOLF.

Saepenumero in hoc literarum genere versatus miror, quod, cum aliarum quas composuit Plutarchus vitarum fontes, qui fuissent, diligentissime inquisiti ac retractati sint, Luculli vita Plutarchea, ubi de tertii belli Mithridatici magno spectaculo agitur, propria et accurata fontium perscrutatione adhuc careat.

Sane H. Peterus,[1] ut omittam Heerenii opusculum[2] nunc minus probatum, hanc quaestionem obiter et in universum perstrinxit: Sallustio usum esse Plutarchum in hac vita enarranda praecipuo auctore. Viro doctissimo obloquitur Grasshofius,[3] qui hanc rem quasi in transitu attingens quem secutus sit Plutarchus auctorem in medio relinquit; Livium autem non minus respuit quam Sallustium. Contra Lauerus,[4] qui, quantum Μιθριδατικά tractantur, in vitam inquisivit,[5] potissimum auctorem suspicatur Livium. Denique Jordanus[6] comparatione inter Plutarchi et Appiani descriptionem insti-

---

[1]) Die Quellen Plutarchs in den Biographien der Römer, Halle 1865. p. 106—109. Sallust. u. Plutarch. in Symbola phil. Bonnens. in honorem Fr. Ritschelii collecta Fasc. II. (1867) p. 455—466.

[2]) De fontibus et auct. vitt. parall. Plutarchi commentt. IV. Gottingae 1820.

[3]) M. Grasshof, de fontibus et auct. Dionis, Bonn 1867.

[4]) Fr. W. Lauer, de scriptoribus belli Mithridatici tertii, Gymn. — Prgr. Wetzlar 1871.

[5]) p. 4—10.

[6]) R. Jordan, de fontibus Appiani in bellis Mithridat. enarrandis Gottingae 1872.

1*

tuta[7]) in Peteri sententiam discedere mavult. Quanta sententiarum varietas! Disquisitione igitur denuo instituta non vereor ne quis acta me agere dicat. Praeterea alia accedit causa, cur hanc quaestionem mihi ceperim tractandam. Traditur enim in hac vita praecipue ea historiae Romanae pars, quae ab uno fere Plutarcho petenda est, praesertim cum nullus Romanarum rerum scriptor Mithridaticis temporibus aequalis ad aetatem nostram permanserit. Adde quod omnes omnino scriptores, qui sublime illud bellorum Ponticorum spectaculum tractaverunt, temporum iniuria interierunt[8]) praeter Plutarchum et Appianum: iam facile intelliges, quantum faciat momenti ad fidem historiae Romanae firmandam, ut sciamus, quos duces in hac vita describenda habuerit Plutarchus. Sane multae mihi de hac re disputanti occurrunt difficultates et quod a Plutarcho nomina eorum, quos secutus est, raro adiecta sunt et quod ex illis quos affert scriptoribus nil nisi paucissima fragmenta supersunt. Nihilo minus hanc rem adhuc dubiam quam accuratissime illustrare studebo, qua in causa eam rationem sequi est mihi in animo, ut primum, quid ipse invenerim, proponam, deinde, quibus erroribus argumentatio priorum criticorum sit implicata, demonstrem, postremo, quae fides huic vitae sit tribuenda, breviter perstringam.

Divisa est haec vita in tres partes, quarum una (c. 1—4 incl.) de Luculli familia rebusque ab adulescente et privatim et primo bello Mithridatico sub Sullae imperio gestis, altera longe copiosissima (c. 5—36) de tertio bello Mithridatico prosperis ipsius auspiciis gesto, tertia (c. 37—43) de eius reliqua vita ac divitiis in luxuriam profusis Plutarchus agit.

Atque in secundam quidem vitae partem, quae capitibus 5—36 multo plus quam dimidiam partem totius vitae con-

[7]) p. 55. et sqq.

[8]) Si excipias Cassium Dionem, Sallustium, Ciceronem, Granium Licinianum, Florum, Livii pedisequos (Orosium cet.), qui admodum pauca nobis tradiderunt.

tinet, prius inquiramus et eos locos — desiderantur enim eiusmodi loci in prima vitae parte — praemittamus, in quibus ipse nomina auctorum, quos consuluit affert. Antiochus philosophus semel laudatur c. 28,7:

„Ταύτης τῆς (ἐν τοῖς Τιγρανοκέρτοις) μάχης Ἀντίοχος ὁ φιλόσοφος ἐν τῇ περὶ θεῶν γραφῇ μνησθεὶς οὔ φησιν ἄλλην ἐφεωρακέναι τοιαύτην τὸν ἥλιον.“ Itemque Strabo in eodem capite: „Στράβων δ', ἕτερος φιλόσοφος, ἐν τοῖς ἱστορικοῖς ὑπομνήμασιν αὐτοὺς λέγει τοὺς Ῥωμαίους αἰσχύνεσθαι καὶ καταγελᾶν ἑαυτῶν ἐπ' ἀνδράποδα τοιαῦτα δεηθέντας ὅπλων.“ Et Livius bis citatur, primum eodem capite: „Λιούϊος δ' εἴρηκεν, ὡς οὐδέποτε Ῥωμαῖοι πολεμίοις ἀποδέοντες τοσούτῳ πλήθει παρετάξαντο· σχεδὸν γὰρ οὐδ' εἰκοστὸν ἀλλ' ἔλαττον ἐγένοντο μέρος οἱ νικῶντες τῶν ἡσσημένων“; iterumque c. 31, 8: „Φησὶ δ' ὁ Λιούϊος ἐν μὲν τῇ προτέρᾳ μάχῃ (ἐν τοῖς Τιγρανοκέρτοις) πλείονας, ἐν δὲ ταύτῃ, (πρὸς τοῖς Ἀρταξάτοις) γνωριμωτέρους πεσεῖν καὶ ληφθῆναι τῶν πολεμίων“. Denique bis Sallustius c. 11, 4: „Σαλουστίου δὲ θαυμάζω τότε πρῶτον ὦφθαι Ῥωμαίοις καμήλους λέγοντος, εἰ μήτε πρότερον τοὺς μετὰ Σκηπίωνος νικήσαντας Ἀντίοχον ᾤετο μήτε τοὺς ἔναγχος πρὸς Ὀρχομενῷ καὶ περὶ Χαιρώνειαν Ἀρχελάῳ μεμαχημένους ἐγνωκέναι κάμηλον“ et c. 33, 3: „Σαλούστιος μὲν οὖν φησι χαλεπῶς διατεθῆναι τοὺς στρατιώτας πρὸς αὐτὸν εὐθὺς ἐν ἀρχῇ τοῦ πολέμου πρὸς Κυζίκῳ καὶ πάλιν πρὸς Ἀμισῷ, δύο χειμῶνας ἑξῆς ἐν χάρακι διαγαγεῖν ἀναγκασθέντας.“

Hi soli scriptores nominatim a Plutarcho afferuntur. Videamus iam, quem potissimum sit secutus.[9]) Antiochum

[9]) Jam H. Peter (l. l. p. 4) egregie observavit Plutarchum in vitis Romanorum praecipue unum auctorem esse secutum, quem maxime idoneum putaret ducem. Quid mirum? Latinis enim literis operam dedit Plutarchus aetate demum provectus (vit. Demosth. c. 2, 2: „ὀψέ ποτε καὶ πόρρω τῆς ἡλικίας ἠρξάμεθα Ῥωμαϊκοῖς γράμμασιν ἐντυγχάνειν . . ; cf. de hoc loco etiam Klapp „de vitt. Plut. auctt. Romanis“, Bonnae 1862. p. 3. et H. Peter l. l. p. 61); antea vero ei aditus ad fontes Latinos plane praeclusus fuit, ita ut in tot clarissimorum hominum vitis enarrandis

praecipuum habere auctorem non potuisse omnibus perspicuum est et ex libri citati titulo (περὶ θεῶν), qui ab accuratiore bellorum Mithridaticorum expositione valde abhorret, et inde quod auctor libri philosophis tantum ac rhetoricis studiis sese dedidit; est enim Antiochus Ascalonita conditor Academiae illius, quae vocatur quinta; cf. Zeller, Philos. d. Gr. III^3, 1, p. 597. sqq.

Sequitur, ut eum tractemus locum, quo uno Strabonem auctorem Plutarchus profert. Exstat in eodem capite 28 locus, quem supra attulimus, unde apparet illum praeter τὰ γεωγραφούμενα commentarios edidisse, quos Plutarchus ἱστορικὰ ὑπομνήματα vocat. Hoc uno loco nominatim hi commentarii a Plutarcho memorantur, cum bis nil nisi nomen Strabonis afferatur: semel in Sullae vita c. 26, 3: „Σύλλᾳ . . ἄλγημα ναρκῶδες μετὰ βάρους εἰς τοὺς πόδας ἐνέπεσεν, ὅ φησιν ὁ Στράβων ποδάγρας ψελλισμὸν εἶναι“ iterumque in Caesaris vita c. 63, 2: „Στράβων δ' ὁ φιλόσοφος ἱστορεῖ πολλοὺς μὲν ἀνθρώπους διαπύρους ἐπιφερομένους φανῆναι κ. τ. λ.“ De hoc opere historico (l. XXXXIII), quod excepit Polybii opus et usque ad Lucculliana tempora et longe ultra certe descendit, nil nisi paucissima fragmenta restant, unde certi quidquam colligi nequit.

Venimus ad tertium auctorem, quem Plutarchus nominatim laudat, T. Livium, in eodem capite 28 et in capite 31 citatum, cui Plutarchum plurima debere facile ac praepropere conicias. At ego, quibus argumentis nixus hanc coniecturam veram esse prorsus negem, pluribus iam exponam. Atque primum quidem si quis observaverit ordinem modumque, quo Plutarchus Livium citat auctorem, narrationem a Livio non pendere protinus concedet — id quod iam Peterus monuit et ego pluribus tibi probabo. Plutarchus enim, postquam

---

tempus ei defuerit omnia pervestigandi et perscrutandi, quae de iis Latino sermone scripta erant, satisque pro viribus fecisse videatur, si unum ducem et auspicem cuique vitae adhibuerit.

Luculli expeditione Pontica capite vicesimo tertio absoluta ad bellum Armenium transiens illius profectionem itineraque ad Tigranocerta (c. 24—27) et utriusque exercitus apparatum pugnamque ibidem factam (c. 27 et c. 28.) copiosissime descripsit, extremo tandem capite 28 deinceps Antiochum, Strabonem, Livium profert iudicia quaedam atque alia memoratu digna de hoc proelio exhibentes. Hoc autem modo futurum fuisse ut Livius a Plutarcho laudaretur, si materiam huic expositioni suppeditavisset, haud facile quisquam credat.

Nonne Plutarchum, sive ut fidem egregiae illius rei augeret sive ut laudem ac gloriam Luculli amplificaret, haec Livii aliorumque auctorum iudicia addidisse multo verisimilius est? Idem valet de altero loco Liviano c. 31, ubi similiter de altera insigni pugna apud Artaxata commissa agitur et exeunte capite aeque ac priore loco duobus versibus continetur Livii dictum, in illo proelio plures, in hoc nobiliores hostes cecidisse. Aliud multoque gravius argumentum ex ipsa Plutarchi narratione petitur, unde Plutarchum Livio non usum esse primario auctore satis apparet. Tradit enim Plutarchus c. 28 Tigranem solum contra Lucullum pugnasse et centum millia Armeniorum amisisse. Quam longe haec omnia distent a relatione Liviana, satis intelligemus instituta comparatione Plutarchi cum Orosio,[10]) sedulo Livii epitomatore.[11])

Orosius VI., 3:	**Plutarchus Lucull. c. 29, I:**
Praeterea Lucullus transgressus Euphraten et Tigrim apud Tigranocertam urbem cum Mithridate et Tig-	Διὸ καὶ Μιθριδάτης οὐ συνέτεινεν ἐπὶ τὴν μάχην (τὴν ἐν Τιγρανοκέρτοις) τῇ συνήθει τὸν Λούκουλλον εὐλαβείᾳ καὶ πα-

---

[10]) Th. Moerner (de Orosii vita eiusque historiarum libris VII adversus paganos, Diss. Berol. 1844) belli Mithridatici tertii narrationem apud Orosium e Livio fluxisse diligentissima collatione (l. l. p. 133, 162) comprobavit.

[11]) ex Liviano opere nil quod Luculliana tempora referat, superest, nisi brevissima perioche Flori — vel quisquis huius epitomes auctor est, — unde quidquam certi colligi nequit.

rane congressus, parvissima (!) suorum manu magnum hostium numerum occidit. Nam XXX millia hominum in eo bello caesa referuntur.

ραγωγῇ πολεμήσειν οἰόμενος ἀλλὰ καθ' ἡσυχίαν ἐπορεύετο πρὸς τὸν Τιγράνην .....

inde deinceps c. 28, 7:

Λέγεται δὲ τῶν μὲν πεζῶν ὑπὲρ δέκα μυριάδας διαφθαρῆναι. τῶν δ' ἱππέων ὀλίγους παντάπασι διαφυγεῖν. (Ῥωμαίων δ' ἑκατὸν ἐτρώθησαν. ἔπεσον δὲ πέντε.) —

E comparatione cognoscimus maximum discrimen in enarrandis magnis rebus intercedere inter Orosii relationem et Plutarchi. Orosius enim — id quod est maximi momenti — etiam Mithridaten pugnae ad Tigranocerta factae interfuisse tradit, Plutarchus eum afuisse aperte dicit. Apud Orosium triginta tantum millia hostium in eo proelio interfectorum memorantur, apud Plutarchum plus quam triplex numerus: centum millia. Illud autem discrimen est eo gravius, quod aeque atque Orosius etiam reliqui scriptores, qui quasi Livianis epulis pascebantur, ut Eutropius[12]), Appianus[13]) aliique Mithridaten illi pugnae interfuisse uno ore tradunt: unde iterum colligi potest Plutarchum alii fonti sua debere. Praeterea Livius Pompeio, qui bellum Ponticum tertium conficiendo laudem bellicam Lucullo praeripuerat, tam benevolus fuit, ut Augustus eum appellaret Pompeianum.[14]) Quare

[12]) Suidas s. v. Καπίτων: „μετάφρασιν τῆς ἐπιτομῆς Εὐτροπίου Ῥωμαϊστὶ ἐπιτεμόντος Λίβιον τὸν Ῥωμαῖον;" quamquam satis scio ab Eutropio nonnunquam praeter Livium alios quoque inspectos esse. — De fontibus Aurelii Victoris et Flori (Heinius de Floro historico, Diss. Bonnae 1866 p. 49 sq.) in his rebus enarrandis nihil constat.

[13]) v. c. 85. Appianus in bellis Ponticis tractandis Livium secutus est. (vide Jordan l. l. et nos infra.)

[14]) Tacit. ann. IV, 34: „Titus Livius, eloquentiae ac fidei praeclarus

Liviana harum rerum descriptio ad Plutarchi propositum non quadravit; nam is omnes viros illustres, quos descripsit, coloribus quam potuit splendidissimis pingere studebat.[15]) Denique sunt, qui Plutarchum in ulla vita componenda annales Livii secutum esse optimo iure negent.[16]) His perpensis nemo iam dubitabit, quin Plutarchus utique testem primarium in enarrando bello Mithridatico spreverit Livium eiusque verba, quae attulit, ex collectaneis[17]) suis sumpsisse videatur.

Restat, ut tractemus quartum, quem bis Plutarchus citat, Sallustium Crispum. Priusquam autem planius in eum inquirimus, tres scriptores in disceptationem vocandi sunt, qui a Plutarcho alibi nominatim laudati atque saepius adhibiti huic quoque vitae materiam praebere potuerunt, Posidonius, Cornelius Nepos, Juba. Nam quod neminem horum nominat, documento non potest esse, eorum scripta Plutarchum sprevisse. Fuit omnino antiquorum rerum scriptorum, inprimis Plutarchi proprium, cum unum eundemque auctorem longius exscriberent, ut eum reticere solerent. Quare haud ab re fuerit eos quos sequi potuit scriptores subtiliori examini subicere.

De Posidonio disputantes magnis tenemur difficultatibus. Nam neque de Posidoniorum numero constat; exstitit enim magna controversia, Posidonius historicus et Posidonius philosophus existimandus sit unus necne.[18]) Utcunque est, hoc

imprimis, Cn. Pompeium tantis laudibus tulit, ut Pompeianum eum Augustus appellaret."

[15]) Si excipias vitam Marii (et Pompei); conf. H. Peter l. l. s. v. Marius.

[16]) Inprimis Ulr. Koehler: „Qua ratione Titi Livii annalibus usi sint historici Latini atque Graeci describitur etc." Gottingae 1860. p. 29—36.

[17]) Recte monuit H. Peter l. c. praef. p. 4.: „Bei den Lebensbeschreibungen der Griechen hatte er, auch als er sie (in Chaeronea) ausarbeitete, eine grössere Anzahl von Quellen in seiner μικρὰ πόλις (Demost. c. 2.) unmittelbar vor sich. Bei den Römern beschränkte er sich auf Notizen aus seiner früheren Lectüre und auf einen einzigen Autor, den er sich als den für eine specielle Parthie brauchbarsten ausgesucht hatte."

[18]) Mueller, fragm. hist. graec. Vol. III. p. 245—296. J. Bake, Posidonii Rhodii reliquiae doctrinae, Lugd. Batav. 1810. — P. Toepelmann, de Posidonio rerum scriptore, Diss. Bonn. 1867. — R. Scheppig, de Posid.

constat, Posidonium quendam sive Rhodium philosophum sive historicum seu quem alium historiam post Polybium conscripsisse LII libris. Ut brevi praecidam, ex Posidonii fragmentis nullum omnino certum indicium ferri potest; illud tamen affirmare ausim, Plutarchum eius libris non usum esse principali fonte, quia Posidonius apud Pompeium magnam gratiam inierat[19]) et inprimis res ab illo gestas scriptis suis celebraverat — ut Mueller recte docuit —, contra Plutarchi totius orationis color ac tenor eo spectat, ut Luculli laus et gloria omni modo exaggeretur.[20]) Sed haec hactenus. — Cornelius Nepos, qui XVI fere libros de viris illustribus scripsit, equidem confiteor me haesitavisse an forte primarius esset auctor. Negari enim non potest nonnulla nobis occurrere indicia, quae eum Luculli vitae esse fontem ostendere videantur — id quod recte iam monuit Lagus.[21]) Ac primum quidem Nepos cum in aliis vitis tum in ultimo vitae Luculli capite (de morte eius) nominatim a Plutarcho laudatur. Deinde is auctor, quod sciam, primus[22]) Graecorum viros celeberrimos cum Romanis composuit idemque habet multa communia cum Plutarcho inprimis in expositione rerum gestarum: non enim scribit historiam, sed enarrat vitas.[23]) Quae conveniunt cum proposito Plutarchi, qui Alex. c. 1,1 „οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν ἀλλὰ βίους . . . . ." profitetur.[24]) Quae

Apameensi, rerum, gentium, terrarum scriptore, Berol. 1870. — Ludov. Mendelssohn quaest. Posidon. specimen, in commentat. philol. semin. Lips. 1874. p. 23—40; Zeller l. l. p. 572. 573.

[19]) conf. etiam Plin. n. h. VII., 31, Strab. XI. p. 401; iterumque XI 491: „Ποσειδώνιος φίλος Πομπηΐῳ γενόμενος."

[20]) Nullo modo fieri potuit, ut Posidonius praecipuam materiam suppeditaret narrationi, cui multi eiusmodi loci intexti sunt, velut c. 36, 3: „τῷ γὰρ ὄντι τὴν ἐκείνου (Πομπηΐου) στρατηγίαν αἱ τούτου (Λουκούλλου) πράξεις ἐκόσμησαν".

[21]) Plutarchus vitae Ciceronis scriptor, diss. acad. Helsingfors 1846 p. 94.

[22]) Nisi forte Varronis Reatini „imagines" prius editae sunt.

[23]) Nepos (vitt. excell. imp.) XVI., 1, 1: „vereor ne non vitam eius enarrare sed historiam videar scribere."

[24]) cf. etiam. vitt. Niciae c. 1. Cimonis, c. 2. Galbae c. 2.

cum ita sint, valde dolendum est, quod omnia, quae Nepos de Lucullo scripsit, iniqua sorte perierunt; quare viam ad certum iudicium in hac dubia re praeclusam esse, unicuique patebit.

Juba[25]) Graece historiam Romanam condidit. Magna orta est controversia, scripseritne historiam sive potius archaeologiam[26]) Romanam rex ille „ἱστορικώτατος" (vit. Sert. c. 9.) necne. H. Peter levius rem persecutus est (l. c. p. 76—77): „historiam Romanam compositam esse a Juba prorsus falsa coniectura quosvis obtinuisse quibusdam Stephani Byzantii locis male ad eum translatis. Qui cum Dionysii Halicarnassensis vestigia prorsus premerent transmutatis Dionysii et Jubae nominibus quin huic adscripti essent dubium non esse." Quod recte quidem cadit in Stephan. Byzant. s. v. Ὠστία, Ἀβοριγῖνες, Λαβίνιον coll. Dionys. 1, 9, 59., non autem in Steph. Byzant. s. v. Νομαντία, πόλις Ἰβηρίας, ὡς Ἰόβας ἐν δευτέρῳ Ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας, neque profecto in aliud fragmentum, quod hoc loco iure inseras: Ἀρβάκη, πόλις ἐν Κελτιβηρίᾳ, ὡς Ἰόβας. Quibus in verbis Dionysii cum Jubae nomen quominus mutatum esse credamus impedit, quod Dionysius neque in secundo libro Numantiam commemorat neque Arbacen unquam commemorasse putandus est. H. Peter cum contenderet „der Inhalt der erhaltenen unzweifelhaften Fragmente aber ist durchaus antiquarischer Natur" omniaque in Jubae Ὁμοιότητα referenda esse opinaretur: et vitam

[25]) G. Hullemann: de vita et scriptis Jubae, Trai. 1845. — Goerlitz, Jubae II. regis vita et. fragm. diss. Vratislav. 1848 et 1862. — W. Plagge, de Juba II rege Mauretaniae, diss. Monast. 1849. — Fr. Leo, de Plutarchi quaestt. rom. auctor. diss. Hal. 1864. p. 17. — Keller, de Juba Appiani Cassiique Dionis auctore Marburg 1872. — Barth, de Jubae ὁμοιότησιν a Plutarcho expressis in quaestionibus Romanis et in Romulo Numaque, Gottingae 1876. — F. Reuss, de Jubae regis hist. rom. a Plutarcho expressa, Wetzlar. G.-Prgr. 1880. In vitis Romuli et Numae Jubam historicum exstare praecipuum fontem demonstratum est p. 11—27.

[26]) Recte monuit Klappius (in libro de vitarum Plutarchearum auctoribus Romanis part. I. p. 4), Stephanum Byzantium non discernere historiae vocem ab archaeologiae.

Sullae (c. 16) et comparationem Pelop. c. Marc. (c. 1) et vitam Sertorii, quibus ex locis ipse Klappius (l. c. p. 4.) — cuius sententia et argumentis nisus Peter Jubae historiam Romanam abiudicavit — „propriam historiam agnoscere licere" concedit, haud satis in disceptationem vocasse videtur. Adeo H. Peterum Klappii auctoritate confusum esse existimes (verbis: „da es mehr als zweifelhaft ist, ob Juba überhaupt eine roemische Geschichte geschrieben, aus der Plutarch haette schoepfen koennen"), cum Klappius antiquissimorum tantum temporum historiam Jubae abiudicet, historiam a Juba conscriptam, qua usus sit in posterioris temporis vitis exstitisse, nequaquam negaverit (l. c. p. 4,8.). Huc accedit, quod Kiesslingii commentatione (in museo rhenano 23 a. 1868 p. 672.) ad unguem — ut ita dicam — perductum est, apud Stephanum Byzantium nequaquam confusum esse Jubae nomen cum Dionysio. Quare nemo amplius dubitabit, quin haec historia Jubae re vera exstiterit. Quot autem in libros divisa fuerit, nusquam traditum inveni. Nec minus incertum est, qua scribendi ratione usus sit. Praeterea historiarum Jubae fragmenta, quibuscum Plutarcheam relationem conferre possis, apud alium scriptorem frustra quaesiveris. Quare quidquam certius in hac dubia re nemo afferre poterit. — Redeo ad eum, qui solus est reliquus, scriptorem Sallustium. Ut iam supra dictum est, bis a Plutarcho laudatur c. 11: „Σαλουστίου δὲ θαυμάζω κ. τ. λ." c. 33: „Σαλούστιος μὲν οὖν φησι . . . . κ. τ. λ." Quae omnia ad eius historias spectare luce clarius est. Ac primum si quis modum, quo Plutarchus priore loco Sallustium affert, animadverterit, eum ex Sallustio pleno ore hausisse facile concedet. Nam illa: „Σαλουστίου δὲ θαυμάζω κ. τ. λ." reprehendunt memoriae lapsum, quem Plutarchus in eius historiis legendis deprehendit. An quisquam est Plutarchi narrandi generis tam ignarus, ut opinetur Sallustium hanc solam ob causam citari, ut castigetur, quia contraria prodiderat iis, quae Plutarchus in suis fontibus invenerat? aut quisquam tantam Romanorum historicorum scientiam Plutarcho tribuet,

ut eum ex memoria Latinorum scriptorum errata emendasse contendat? Longe aliter res se habet. Solent enim, ut supra iam monuimus, Plutarchus aliique historici antiqui ita scriptorem exscribere, ut ne nomen quidem eius lectoribus cognitum esse velint, nominatim vero eum emendare non negligant, si qui error eius in narrationem irrepserit.[27])

Deinde constat inter omnes Sallustium, cum Caesaris studiosissimus esset, non favisse Pompeio, qui de Luculli fronte lauream decerpsisset. Unde effici potest bellicam Luculli laudem tantopere ab adversario Pompeio obscuratam eum historiis suscepisse illustrandam. Quae omnia aptissime cadunt in Plutarchi βιογράφου propositum.[28])

Tum historiae Sallustianae ipsae rem expedire possunt. Tractavit autem in iis Sallustius ea tempora, quae Sullam insecuta sunt, quinque libris, incipiens ab anno 78/676[29]) atque continuans L. Sisennae opus usque ad annum 67/687, quantum ex fragmentis (lib. V. fr. 15—20)[30]) colligi potest. Neque vero altius descendisse mihi videtur, sive quod in scribendo occupatus morte correptus est, sive quod veritatem consulto corrumpere Sallustius „certissimus auctor"[31]) noluit. Quod attinet ad fragmenta, supersunt — nonnullis orationibus et epistulis exceptis — frequentia magis quam continua, quorum fragm. 53—61 secundi libri, 8—53 tertii, 1—21 quarti, 1—14 quinti ad bellum Mithridaticum tertium pertinent. Nunc inde nonnullos locos eligamus, qui ad collationem instituendam nodumque explicandum apti sunt.[32])

---

[27]) Idem H. Peter (l. l. p. 107 ac saepius) aliique homines docti animadverterunt (e. g. Geer, de fontibus Plutarchi in vit. Gracchorum, Leyden p. 53).

[28]) vide supra p. 11 ac saepius.

[29]) Ut patet ex historiarum exordio adhuc servato.

[30]) vide Fr. Kritz, Sallust. fragm. disposita suisque comment. illustrata, Lips. 1853. (Neu geordnet und erklärt) Erfurt 1856. — Nuper disposita sunt Sall. fragm. a. R. Dietsch, Lips. 1859.

[31]) Isidor Orig. XIII, 21; Augustin de civ. dei I, 5.

[32]) Tres locos inter se minus congruentes iam attulit Peterus (p. 109).

Plutarchus.	Sallustius.
Lucull. c. 7, 4: ἤθροιζεν . . ἱππεῖς δὲ πρὸς μυρίοις ἑξακισχιλίους ἄνευ τῶν δρεπανηφόρων τεθρίππων.	Lib. III. 12: (Kritz). Curribus falcatis.
c. 9, 3: Διὸ (Λούκουλλος).... συναγαγὼν αὐτοὺς (στρατιώτας) ἐμεγαληγόρησεν ὡς ὀλίγων ἡμερῶν ἀναιμωτὶ τὸ νίκημα παραδώσων αὐτοῖς.	Lib. III. 16: (Sallustius duces laudat, qui) victoriam incruento exercitu reportarunt.
c. 15, 1: Ὁ Λούκουλλος περί τε τὴν Ἀμισὸν διέτριψε μαλακῶς τῇ πολιορκίᾳ χρώμενος.	Lib. IV. 1: Amisumque assideri sine proeliis audiebat.
c. 18, 1: Θησαυρούς τε μεγάλους εὗρε (Λούκουλλος) καὶ δεσμωτήρια . . . τοῦ βασιλέως.	Lib. IV. 5: Tenuit Lucullus thesauros, custodias regias.
c. 21, 6: ὥστε τὸν Τιγράνην.. μὴ λαθεῖν τοὺς παρόντας ἠλλοιωμένον τῇ παρρησίᾳ τοῦ νεανίσκου φωνῆς σχεδὸν ἐλευθέρας ἀκούοντα διὰ . . ἐτῶν.	Lib. IV. 6: (De Appii cum Tigrane colloquio) insolens vera accipiundi.
c. 26, 6: Τοξότας μὲν γὰρ καὶ σφενδονήτας δισμυρίους ἦγεν (ὁ Τιγράνης), ἱππεῖς δὲ πεντακισμυρίους καὶ πεντακισχιλίους, ὧν ἑπτακισχίλιοι καὶ μύριοι κατάφρακτοι ἦσαν.	Lib. IV. 16: Qui praegrediebantur equites cataphracti ferrea omni specie.
c. 33, 4: ὡς ὑπὸ φιλαρχίας . . ἕλκοντος τὸν πόλεμον.	Lib. V. 6: (Dietsch) inperi prolatandi percupidus habebatur, (cetera egregius).

Ex hac comparatione cognoscimus magnam etiam verborum similitudinem inter utrumque intercedere, quin etiam unum alterumve locum ex latino sermone in graecum a Plutarcho ad verbum fere conversum esse (inprimis ,,tenuit Lucullus;" ,,inperi etc."); reliquis autem locis etsi minus fidei inesse videtur, plurimum tamen tribuendum est, quia si quis numeros capitum, librorum fragmentorumque respexerit, protinus intelliget eundem rerum ordinem apud utrumque scriptorem teneri, id quod est summi momenti. Jam vero hac sententia certis argumentis comprobata demonstrandum erit, quam falsis rationibus ducti alii, qui hac de re disputaverunt, aliter senserint quibusve erroribus sit implicata eorum argumentatio, quo mea fiat probabilior. In refutandis autem virorum doctissimorum argumentis si forte nimis acerbe egisse videar, precor, ne hoc mihi crimini vel insolentiae vertatur; sed sibi quisque persuadeat velim, me, quaecunque protulerim, veritatis studio impulsum dixisse.

Ac primum quidem res mihi est cum H. Petero, qui, quamquam de principali fonte idem atque ego sentit, in argumentatione tamen negligentius quam par erat versatus est. Ut enim sententiam suam tueatur, Appianum et Cassium Dionem in comparationem vocat et ex similitudine quam inter horum narrationem et Plutarchi omnibus fere partibus[33]) intercedere ille opinatur, protinus coniectat hunc auctorem sua debere Sallustio. Toto coelo erravit v. d., primum quod neque Appianus neque Dio, quae tradunt, ex Sallustio hauserunt, deinde quod ista scriptorum similitudo accuratius pervestiganti vana atque inanis apparet.

Appianum in tertio bello Mithridatico enarrando annales Livii secutum esse Jordanus evicit egregia dissertatione iam initio laudata;[34]) itemque Lauerus (libello supra citato)[35]) Appi-

[33]) conf. Peter (p. 108 Anm.): „Dazwischen aber findet sich wieder Einzelnes, was die Annahme einer gemeinschaftlichen Quelle . . . . . unwahrscheinlich macht".

[34]) p. 54—112.

[35]) p. 10—16.

anum nihil ex Sallustio, plurima[36]) e Livio petivisse docuit. Age, nunc firmo ac stabili solo insistentes videamus, qualis sit Plutarchi cum Appiano similitudo. Peterus hos affert locos congruentes: App. 75 et Plut. c. 10 (de prodigio bovis nigrae); App. 69 et Plut. c. 7 (de apparatu regis Pontici et magnitudine copiarum); App. 78 et Plut. c. 14 (narrant apud Romanos tantam et captivorum et cibi abundantiam fuisse, ut boves singulis, servi quaternis denariis constarent); App. 82 et Plut. c. 17 (uterque tradit regem avaritia Romanorum militum esse servatum, qui mulum auro onustum quam Mithridaten capere maluerint); App. 84 et Plut. c. 24 (de Machare, regis filio, in amicitiam Romanam recepto); App. 85 et Plut. c. 27 (de arroganti Tigranis voce); App. 89 et Plut. c. 35 (de clade Triario allata). — Equidem non solum aliquantum in his rebus describendis similitudinis apud utrumque apparere non nego, sed etiam nonnullos eius modi locos adiciam,[37]) quos v. d. neglexit: App. 74 et Plut. c. 10: uterque congruenter machinas describit, quibus rex oppidum adortus sit, et procellam, qua plurima opera deleta sint (ἐπῆγε τὴν ἐπὶ τῶν νεῶν μηχανήν . . τῶν δὲ αὐτῶν ἡμερῶν πνεῦμα σφοδρόν . . τοῦ βασιλέως — νότος ἐκραγείς . . πύργον κατέβαλε); App. 75 et Plut. c. 11, ubi uterque eundem numerum militum et equitum tradit, quos Lucullus victoria apud flumen Rhyndacum parta ceperit (ὁ Λούκουλλος περῶσι τὸν Ῥύνδακον ἐπιπεσών . . . . . ἔλαβεν ἄνδρας μὲν ἐς μυρίους καὶ πεντακισχιλιούς, ἵππους δ'ἐς ἑξακισχιλίους — περὶ τὸν Ῥύνδακον . . ἑάλωσαν ἵπποι μὲν ἑξακισχίλιοι . . ἄνδρες δὲ μύριοι πεντακισχίλιοι); App. 79 et Plut. c. 15: ubi de audaci Pomponii responso agitur (γενομένης δ' . . ἱππομαχίας . . Πομπώνιος ἐς Μιθριδάτην ἀνήχθη . . εἰ μὲν, ἔφη, σὺ φίλος γένοιο Λουκούλλῳ πάνυ πολλοῦ ἀξίαν, εἰ δ' ἐχθρὸς εἴη, οὐδὲ βουλεύσομαι . . ὁ βασιλεὺς εἶπεν, οὐκ ἐξυβρίζειν ἐς ἀτυχοῦσαν ἀρετήν — γενομένης δ' ἱππομαχίας . . Πομπώνιος . . ἄνγε δή, ἔφη, Ῥωμαίοις διαλλαγῇς, εἰ δὲ μή, πολέμιος . . ὁ Μιθριδάτης οὐκ ἠδίκησεν); consentiunt praeterea App. 77 et Plut. c. 12 de tredecim navibus regiis apud Lemnum et portum Achaeorum captis, App. 80 et Plut. c. 15 de copiis Luculli ex faucibus liberatis, App. 84 et Plut. c. 25: uterque narrat hominem, qui primus adventum Luculli nuntiaverit, a Tigrane necatum esse et Mithrobarzanen contra Lucullum esse praemissum; alios locos, ubi minus consentiunt, praetereo. — At ipse tecum pugnas! Minime quidem; his enim singulis locis non commovebitur is qui collatione diligentius instituta cognoverit, quantopere universa rerum descriptio Appiani abhorreat a Plutarchea et quotiens uterque scriptor vel maximis in rebus plane dissentiat. Ac primum quidem neminem altius pervestigantem fugerit, a Plutarcho laudes Luculli multo splendidioribus coloribus illustrari quam ab Appiano: illam tam nobilem Luculli victoriam apud Tigranocerta reportatam accuratiore et vividiore oratione depingit Plutarchus (c. 27 et 28); praeterea Appianus (85) Mithridaten ipsum huic proelio interfuisse tradit cum Orosio (v. s.), Plutarchus aperte negat; neque minus dissentiunt de numeris Ponticorum peditum et equitum occisorum. Deinde de proelio equestri uterque contraria profert: Appianus (80) regem superiorem discessisse, Plutarchus (c. 15) primum Romanos fugisse, deinde cum Lucullus subvenisset, regios equites esse repulsos. Quanta summis in rebus diversitas![38]) Tum — id quod est maximi ponderis — rerum traditarum ordo inprimis inde a Luculli in Pontum irruptione (79) alius est apud Appianum atque apud Plutarchum. Appianus ex ordine tradit proelium illud equestre, audax Pomponii responsum,

[36]) Quam falsa ratione perductus „plurima“ pro „omnia“ dicat, infra explanabitur.

[37]) conf. etiam Jordan. p. 59. sqq

[38]) Discrepant quoque his minoribus locis (App. 79 et Plut. c. 16) de Scythae cuiusdam insidiis; (App. 87 et Plut. c. 20) de legationibus ad Parthos missis; Plut. (c. 17) Ponticos bis a Romanis fusos esse tradit App. (80—81) semel eos esse pulsos commemorat; App. 82 et Plut. c. 22, ubi de Mithridatis fugitivi apud generum condicione agitur.

hominis Scythae insidias, victoriam regis, eiusdem fugam atque caedem uxorum eius et sororum, Sinopes expugnationem, Luculli somnium, foedus cum Machare ictum, Clodii ad Tigranen legationem, res Asiae a Lucullo compositas. Contra Plutarchus deinceps proelium equestre, victoriam Luculli, hominis Scythae dolum, cladem fugamque regis, caedem mulierum regiarum, Amisi expugnationem, res Asiae ordinatas, Clodii legationem, Sinopes occupationem, foedus cum Machare pactum. Quibus omnibus perpensis nemo iam in dubio erit, quin illae similitudines[39]) quasi obscurentur; quae unde sint ortae facile explicari potest nec cuiquam mirum videbitur: Livium, Appiani auctorem, in his rebus enarrandis e Sallustio, Plutarchi fonte, saepius hausisse demonstravit Jordanus collatione inter Sallustii fragmenta Plutarchumque[40]) cum Livii pedisequis instituta.[41]) Ut concludam, Appiani narratio longe discrepat a Plutarchea, unde denuo colligi potest, Plutarchum sua debere Sallustio.

Venio ad Dionem, cuius de fontibus atque auctoritate, ut omittam Wilmansi[42]) opusculum nunc obsoletum, disputavit Grasshofius.[43]) Haec autem est summa argumentationis: Dionem secutum esse Sallustii historias; atqui Dionem plane

---

[39]) Praeterea nonnulli loci, quos citat Peterus congruentes, claudicant: App. 69 et Plut. c. 7 exercitum Mithridaticum describentes dissentiunt de numero peditum, — id quod Peterus ipse concedit (p. 108.); similiter de superbo Tigranis dicto (vide infra sub Dione).

[40]) De Plutarcho negligenter egisse mihi videtur Jordanus; ait enim p. 59, ubi eum in comparationem vocat, ita: „Plutarchus, qui, ut supra vidimus, Sallustii usus est historiis.“ . . . Ubi hoc vidimus? nam p. 56, primum facit mentionem huius vitae Plutarcheae his verbis: „Qui de hac vita disputaverunt viri docti non consentiunt . . . . . Mihi quidem, ut libere quid sentiam profitear, Peteri sententia rectior videtur esse, quod infra saepius comprobandum erit.“ Nulla tamen huius rei (per p. 56—59.) mentione facta Jordanus, quasi iam constaret Sallustium esse Plutarchi fontem, inde proficiscitur in argumentatione sequenti.

[41]) p. 59—62 ac saepius.

[42]) R. Wilmans, de Dionis Cassii fontibus et auctoritate, Berol. 1830.

[43]) de Dionis fontt. Bonn. 1867. (v. s.)

dissentire cum Plutarcho; nostrum igitur auctorem non hausisse e Sallustio; quem autem alium secutus sit Plutarchus, diiudicatu difficillimum esse. Huius viri docti vestigia pressit Lauerus,[44]) cum nihil fere aliud nisi eius argumenta iterum in medium protulit. Sed Grasshofium in argumentatione sua insistere infirmo solo iam sensit Jordanus (p. 75): „nititur enim paucissimis Sallustii reliquiis, quae mea quidem sententia non sufficiunt ad indagandum fontem Dionis. Ostendimus praeterea iam supra, Dionem usum esse annalibus Livii; vidimus quoque, ipsum Livium e Sallustio hausisse; facillime igitur accidere potest, ut locus Sallustii consentiat cum Dione, quamquam hic Sallustium non inspexit.“[45]) Ita Jordanus. Accedit quod ex his paucissimis (IV) fragmentis fidem duorum iure labefactavit Lauerus.[46]) Quare „adhuc sub iudice lis est,“ quae tamen facile resolvi possit. Comparatione enim Dionis cum pedisequis Livii facta satis intelligitur, eandem esse Dionis conditionem ac tenorem narrandi atque Appiani et manifestum quasi vinculum inter illum et epitomatores Livii intercedere: de proelio Tigranocertensi[47]) Dio una cum scriptoribus, qui e Livio hauserunt (Appiano, Orosio, Eutropio, v. s.), Mithridaten affuisse tradit — id quod est, ut Graeci dicunt, κριτήριον. Itemque in celebrandis Luculli laudibus nimis malignus est, praeterea certe ea descriptionis pars, quae in oppugnatione Tigranocertorum ver-

---

[44]) p. 2—3.

[45]) Eo referendus erit is locus, qui unus sententiam Grashofii stabilire videtur; Dio (XXXV, 3) enim et Sallustius (Kritz. IV. 19) Phraaten, regem Parthorum, appellant „Arsacen“. Sed hic locus habet parum auctoritatis, propterea quod omnibus regibus e gente Arsacidarum prognatis hoc cognomen inditum esse constat.

[46]) Sane lacunam explevit duobus aliis locis; sed nihil certi, ut opinor, effici potest ex locis eiusmodi:

Dio 36. 11.: Οἱ γὰρ ἄνθρωποι ἐκείνου (sc. Μιθριδάτου) τε εὔνοιαν . . . τῆς πατρίου βασιλείας . . . ἔχοντες προσεχώρησαν αὐτῷ κ. τ. λ.	Hist. V. 1: Adeo eis ingenita est sanctitas regii nominis.

[47]) epitome Xiphilini de proelio ipso sola superest.

satur atque etiam astrictior est quam Appiani, e Sallustio non fluxisse mihi videtur, quod e fragmentis Historiarum, ut Lauerus ipse[48]) concedit, satis apparet „quanta diligentia singula quaeque a Sallustio exposita fuerint.“ Denique ea, quae Dio de rebus a Lucullo in Armenia gestis, de Nisibi capta alisque[49]) magnis factis narrat, nullo loco rebus ab Appiano traditis repugnant, nisi quod apud unum nonnulla desiderantur, quae apud alterum leguntur, prout hic illic accuratius Livium exscripsit. Omnibus, quae Jordanus et ego in contrariam partem disputavimus, in unum coactis efficitur, Dionis descriptionem multo propius ad Livium accedere quam ad Sallustium.

Nunc quaerendum est, consentiat Plutarchus cum Dione necne. Jam Grasshofius et Lauerus utrumque scriptorem plane dissentire luculenter demonstraverunt et ne Peterus quidem similes locos aperuit uno excepto, cui nulla inest auctoritas, nisi forte quis ex Dionis verbis (Κλώδιος . . . . καίπερ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ τῷ Λουκούλλῳ συνοικούσης) et ex illis Plutarcheis (ἦν δὲ τῆς Λουκούλλου γυναικὸς ἀδελφός) colligere studet, utrumque eadem vestigia pressisse.[50]) Equidem paucos locos adicere possum, quibus quamquam similitudinem aliquam habere videntur, tamen nihil fidei inest velut: Plut. (c. 27): Τιγράνης . . . . . σκωπτικὸς εἶπε τὸ θρυλούμενον „εἰ μὲν ὡς πρεσβευταί, πολλοὶ πάρεισιν. εἰ δ' ὡς στρατιῶται, ὀλίγοι“ et Dio 36,3. (Xiphilinus) „λέγεται δ' οὖν εἰπεῖν, ὡς εἰ μὲν πολεμήσοντες ἥκοιεν, ὀλίγοι, εἰ δὲ πρεσβεύσοντες πολλοὶ παρεῖεν“. Hoc arrogans Tigranis dictum cum non solum Dio et Plutarchus, sed etiam Appianus (85) et Memnon[51]) commemorent, tam pervulgatum fuisse mihi videtur — id quod etiam significatur verbo illo Plutarcheo „τὸ θρυλούμενον“ — ut inde nihil concludere liceat. Sed haec sufficiant; nam Dionem et Plutarchum in enarrandis rebus maioris momenti non inter se consentire, e re ipsa efficitur: hic secutus est Sallustium, ille non item. — Ad extremum redeo ad Grasshofium, qui ita concludit: „Plutarchus omnes res a Romanis praeclarissime gestas dicit, dum (sic!) Dio aperte fatetur, Lucullum nihil efficere potuisse. Plutarchus igitur (videlicet quippe cum Dio Sallustium adhibuerit) non Sallustium secutus est, sed talem scriptorem, qui omni modo studebat, ut nemo cognosceret, Romanos ex hoc bello inferiores discessisse.“ Ego ut Lucullum infecta re rediisse nego, ita Luculli laudes exaggeratas esse concedo; quod si Grasshofius fonti tribuit, ego plane assentior — vereor autem ne ipse secum pugnet —: nam scriptorem, qualem iste vult (nominatim autem proferre nescio quomodo recusavit), ego intelligo neminem alium nisi eundem Sallustium, qui profecto omni modo studebat, ut nemo opinaretur, Romanos solius Pompei meritis ex hoc bello superiores discessisse — id quod supra satis demonstravimus; simulque inde denuo colligas Dionem, quem Romanis non favisse ipse confitetur, Sallustio usum esse non potuisse. Sed haec hactenus.

48) p. 12.

49) cf. Jordanus, p. 74—80.

50) Huius rei ea est natura, ut quivis scriptor, qui eam commemorat, iisdem fere verbis uti cogatur; conf. etiam Sallust. hist. V. 9: „qui uxori eius (sc. Luculli) frater erat.“

51) Müller, frag. hist. graec. III. p. 556, c. 57.

Jam ita a me contra Peterum et Grasshofium disputatum esse arbitror, ut neque Appianum neque Dionem ea, quae tradunt, Sallustianis historiis debere neque ullam graviorem similitudinem inter horum duorum descriptionem et Plutarchi intercedere omnes facile mihi concedant. Postremo autem quamvis haec omnia satis constent, tamen ab animo impetrare non possum, ut Laueri[52]) argumentationem silentio praeteream, cuius summa est haec: sane Plutarchum in vitae parte haud ita magna ad Sallustium confugisse negari non posse; atqui „saepius“ illum cum Livii pedisequis consentire, quare eundem non tam e Sallustio quam e Livio pendere. Ac primum

52) in l. l. p. 4—10.

quidem v. d. contra H. Peterum disputans fidem Sallustianorum fragmentorum — pauca enim eaque graviora Laueri argumenta excerpam[53]) — vehementer impugnat, quae Peterus in comparationem cum Plutarcheis verbis vocavit: in unis reliquiis esse interpretationem incertam, in alteris res, quae referantur, plerumque tam simplices tamque tritas esse, ut facile fieri potuerit, ut vel scriptoribus longe inter se discrepantibus eadem verba in mentem venirent. Equidem plerumque[54]) viro doctissimo assentior; etsi omnia fere fragmenta, quae in dubium vocavit, a me sunt omissa, nihilo minus tamen nonnulla (v. s.) supersunt, quorum duo vel tria v. d. ipse approbavit[55]) eaque gravissima, ut illud „tenuit Lucullus thesauros", quod e Latino sermone in Graecum ad verbum, ut supra diximus, a Plutarcho conversum esse videtur. — Tum disserit v. d. hunc in modum: in ceteris et amplioribus vitae partibus Plutarchum Historias neglexisse „et ex gravissimis illis a Dione discrepantiis, quippe qui Sallustium pro primario fonte habuerit (!), et inde apparere, quod duo loci Plutarchi ipsis Sallustii fragmentis repugnent.

Habes eius πρῶτον ψεῦδος: iurat enim in verba Grasshofii (v. s.). —

Porro quales sunt duo illi loci? apud Sallustium (II. 55) Mithridates et fratrem et sororem interfici iussit; apud Plutarchum (c. 18) complures regis sorores et uxores interfectae esse traduntur; ille (IV, 10) de Lucullo Euphraten fluvium

---

[53]) Quod e. c. ex ratione, qua Plutarchus citat Sallustium, hunc illius esse fontem colligi posse negat, id neglexi partim quod ne ego quidem multum huic argumento tribui, partim quod Lauerus ipse ita concludit: „Quamquam non nego facile fieri potuisse, ut Plutarchus res c. 33. (ubi laudat Sallustium) narratas maximam partem e Sallustii historiis hauriret."

[54]) An huc referenda non sint illa (IV. 8): „inperi prolatandi percupidus habebatur" et (c. 33.) „ὡς ὑπὸ φιλαρχίας . . . . ἕλκοντος τὸν πόλεμον" equidem dubito.

[55]) Ceterum Lauerus sibi non constat, cum ipse fragmentum (IV. 4. Kr.) „cultu corporis ornata egregio" in collationem vocet, quamquam eius fides dubia est (v. Dietsch).

transgressuro agens naves iam ante paratas esse dicit, hic (c. 24) Lucullum, cum exspectandum esset, dum naves cogerentur ratesque conficerentur, moram moleste tulisse refert. Quam parvae quamque leves illae res, si quis non historiam scribere (vit. Alex. c. 1.) sed illustrium virorum vitas depingere vult; quam perversum, βιογράφον confundere cum rerum scriptore et una norma metiri! An opinatur iste Plutarchum fontes suos ita exscripsisse ut somniavit Wartmannus (vit. Cat. p. 39.)? — Immo vero Plutarchus hunc sibi morem statuit, qui ubique in eius libris perspici potest, ut memoria fretus ea, quae legit, citet — huc referendi sunt multi memoriae lapsus — vel si memoria non suppeditet, subsidio utatur annotationum; si vero haec omnia non sufficiant ad vitam viri nobilis cuiusdam exponendam, unum vel plures auctores eligat, quos per totum caput adhibeat, non ita tamen ut eos ad verbum describat, sed multis rebus, quibus supersedere possit, omissis collectam materiam nonnullis rebus aliunde petitis illustret. Praeterea equidem Plutarchum Historias hic adhibuisse, illic sprevisse nequaquam adducor et suis ipsius verbis Lauerum convincam; quo enim iure iste, ut Livium esse Flori auctorem demonstret, sic disputat (p. 8):

„Qui in superioribus libris Livii tam studiosus fuisset, eum postmodo Livium plane neglexisse, utpote cuius genus scribendi consilio Flori valde conduceret, nec verisimile nec probatum est", eodem certe ego, ut meam sententiam comprobem, de Plutarcho dico: „Qui in una belli Pontici parte enarranda Sallustii tam studiosus fuisset, eum in ceteris eiusdem belli partibus Sallustium neglexisse, utpote cuius genus scribendi consilio Plutarchi valde conduceret, nec verisimile nec probatum est." Denique quae Lauerus de Livio ut primario Plutarchi fonte disseruit[56]) impugnare supersedeo,

---

[56]) Hac falsa opinione perductus in alium quem supra leviter attig errorem incidit, quod Appianum, quippe quum magnis in rebus nonnunquam cum Plutarcho dissentiret, Livio non semper primario fonte usum esse contendit. Quantopere ipse se hac argumentatione irretiverit, satis

quia iam initio libelli mei ac saepius in contrariam partem disputavi. In eo quoque vehementer iste erravit, quod non solum „alias a Plutarcho discrepantias“ Orosii (ut de numeris hominum in proeliis occisorum exsequendis) ab „incuria“ Hispani scriptoris profectas esse dicit, sed etiam huc ea, quae de pugna Tigranocertensi erravit Orosius, refert, ignarus alios scriptores, qui e Livio hauserunt, et ipsos Mithridaten in hac pugna cum Romanis congredientem fecisse, ut supra demonstratum est. Haec fere habui, quae mihi de Lauero strictim addenda esse viderentur.

Nunc vero hac vitae parte, quam voco stirpem, absoluta postquam non modo meis argumentis comprobandis, sed etiam aliorum opinionibus refellendis Sallustium exstare primarium fontem evici, munus meum fere explevi. Reliquum est, ut huius vitae primam particulam (c. 1—4) et extremam (c. 37 — 43) paucis absolvam. Quod attinet ad priorem partem, Plutarchus capite primo de Luculli gente eiusque vita privata ac literarum studiis, per tria reliqua de rebus ab adulescente Sullae imperio gestis latius egit, nullo fonte nominatim allato. Est igitur difficile, cum fere omnia absint indicia, auctorem indagare, immo potius divinare. Si excipis primum caput, ubi Plutarchus pauca e suo ingenio inserens Posidonio usus videtur esse, — saepius enim hunc in exordiis esse advocatum docent vitae Marii[57]), Marcelli[58]) aliorumque Romanorum, neque minus totius capitis stilus ac sonus

elucet ex verbis, quae adicit: „Qui autem fuerint alii fontes, non dixerim .. ac si quaeritur, quibus causis adductus esse videatur, ut Livium tum sequeretur tum negligere mallet, ne de hac quidem re nisi coniecturis admodum incertis sententiam ferre audemus.“

[57]) Plut. c. 1: „Γαΐου Μαρίου τρίτον οὐκ ἔχομεν εἰπεῖν ὄνομα .... Ἐξ οὗ καὶ μάλιστα Ποσειδώνιος ἐλέγχειν οἴεται τοὺς τὸ τρίτον ὄνομα Ῥωμαίοις κύριον εἶναι νομίζοντας ..“ et paulo infra „Οὐδεμιᾷ γὰρ γυναικὶ τίθεται τῶν ὀνομάτων τὸ πρῶτον, ὅπερ οἴεται κυρίως ὄνομα Ῥωμαίοις ὑπάρχειν ὁ Ποσειδώνιος.“

[58]) v. G. Soltau, de fontibus Plutarchi in secundo bello Punico enarrando comment. Bonnae 1870 sub fine. —

Graecum aliquem spirat — per reliqua capita deperditos Sullae commentarios suppeditasse materiam verisimillimum est. Contra Peterus: „Da der Schauplatz, auf dem sich Lucullus bewegte, meist von dem des Sulla verschieden war, so ist es wenig wahrscheinlich, dass Sulla in seinen Memoiren so ausführlich, wie es hier geschieht, die Unterfeldherrn geschildert habe.“ At quod Peterus in contrariam partem argumentatur, id ipsum meam sententiam comprobare ac firmare mihi videtur; nam primum quidem quis res a legato gestas accuratius novisse potuit et debuit quam dux summus? Nonne ille legationem renuntiare debuit? aut quid aliud fuit legati quam mandata imperatoris religiosissime exsequi? Huc accedit, quod Sulla et Lucullus summa necessitudine atque familiaritate coniuncti erant. Dedicaverat enim illi Sulla commentarios rerum suarum, illum instituit tutorem filii sui nulla habita ratione Pompei Magni[59]). Quid igitur obstat, ne adducamur Sullam amicissimo suo in hoc opere monumentum non modo domesticae amicitiae sed etiam bellicae laudis posuisse nomenque eius posteritati propagasse, qui item in bello fortiter operam sibi navasset? Tum nimis copiosum hoc quidem non est, tribus capitibus quaecunque a Lucullo legato Sullae sunt acta, perstringere. Praeterea Sullae commentariorum per paucissima capita saepius mentio a Plutarcho fit atque etiam, ut modo vidimus, verbosius. His omnibus comprehensis Peteri sententiam satis refellisse neque multum a vero aberrasse mihi videor, si permulta[60]) e Sullae commentariis fluxisse con-

[59]) Plut. Sull. c. 6: „Ἔτι δὲ Λευκόλλῳ μὲν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ὧν ἐκείνῳ τὴν γραφὴν ἀνατέθεικε, παραινεῖ“ κ. τ. λ. — Plut. Lucull. c. 4: „ἀλλὰ τήν τε γραφήν, ὡς εἴρηται, τῶν ὑπομνημάτων ἐκείνῳ δι᾿ εὔνοιαν ἀνέθηκε καὶ τελευτῶν ἐπίτροπον τοῦ παιδὸς ἔγραψεν ὑπερβὰς Πομπήϊον.“ — Lucull. c. 1: „ὥστε καὶ Σύλλας τὰς αὑτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ (Λουκούλλῳ) προσεφώνησεν ὡς συνταξομένῳ καὶ διαθήσοντι τὴν ἱστορίαν ἄμεινον.“

[60]) exceptis his locis (c. 3): „Ἀλλ᾿ εἴτε τὰ πρὸς Σύλλαν .... εἴτε περιφεισάμενος αὐτοῦ Μιθριδάτου καὶ φυλάξας ἀνταγωνιστήν“; et (c. 4): „παραμύθιόν τι δοκεῖν τῆς Σύλλα χαλεπότητος γενέσθαι ταῖς πόλεσιν“ et paulo infra „τῶν δὲ περὶ τὴν Ἰταλίαν κακῶν, ἃ τότε Σύλλας καὶ Μάριος ἄφθονα καὶ παντοδαπὰ τοῖς ἀνθρώποις παρεῖχον.“

tendi[61]). Pauca quoque famae Plutarchus debere videtur (c. 2 extr.): „λέγεται δὲ μήτ᾽ εἰς Μέμφιν ἀναβῆναι μήτ᾽ ἄλλο τῶν θαυμαζομένων ἐν Αἰγύπτῳ καὶ περιβοήτων ἱστορῆσαι“ κ. τ. λ.

Tertia vitae particula (c. 37—43) agit Plutarchus de reliqua vita Luculli, qui summum honoris gradum iam adeptus in otium recedere coepit, de sumptibus ab eo impense factis, magnam copiam narratiuncularum, nugarum facetiarumque promiscue adiciens. Eo certius est Plutarchum in hac vitae particula a Sallustio destitutum fuisse. Neque enim hic tam alte in historiis suis descenderat — sunt anni ab Luculli ex Ponto reditu (67) usque ad eius mortem (57) —; hoc multo magis proprium est Cornelii Nepotis, quem etiam Plutarchus testem necis Luculli attulit in extremo capite (43): „Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ὑπὸ γήρως φησὶν οὐδὲ νόσου παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον ἀλλὰ φαρμάκοις . . . . τὸν ἀδελφόν.“ Quare verisimillimum est Plutarchum in hac parte multa ex Nepote petiisse. Duo loci (c. 38 et 42) inter se pugnant. Nam Lucullus, cum c. 38 ex sole et pulvere ad umbratilem et otiosam vitam plane perfugisset: „Ἐλπίδας δὲ θαυμαστὰς τῇ βουλῇ παρασχὼν . . ἐγκατέλιπε καὶ προήκατο τὴν πολιτείαν. . . Οἱ μὲν γὰρ ἐπαινοῦσιν αὐτοῦ τὴν τοσαύτην μεταβολήν . . οἱ δὲ περὶ τὸν Κράσσον καὶ Πομπήϊον ἐχλεύαζον τὸν Λούκουλλον εἰς ἡδονὴν ἀφεικότα καὶ πολυτέλειαν αὑτόν . . nondum a negotiis publicis se removerat c. 42: „Ἦσαν δ᾽, ὥσπερ εἴρηται, (Κικέρων καὶ Λούκουλλος) φίλοι σφόδρα καὶ κοινωνοὶ τῆς ἐν πολιτείᾳ προαιρέσεως· οὐδὲ γὰρ αὖ πάμπαν ἀπηλλάχει τῆς πολιτείας ἑαυτὸν ὁ Λούκουλλος“ et c. 43: „Ταῦτα δὴ καὶ μᾶλλον ἀπῆγε τῆς πολιτείας τὸν Λούκουλλον. ἐπεὶ δὲ Κικέρων ἐξέπεσε τῆς πόλεως καὶ Κάτων εἰς Κύπρον ἀπεστάλη, παντάπασιν ἐξελύθη.“ Unde colligi potest, duo minimum scriptores a Plutarcho inspectos esse — id quod

[61]) Sat scio Lucullum de bello Marsico, cui ipse interfuerat, libellum Graece conscripsisse eumque Plutarcho notum fuisse (c. 1.); sed eum Plutarchus non in usum vocavit, quod quaecunque de rebus Marsico bello a Lucullo gestis commemorat, duobus fere versibus capitis secundi continentur.

recte iam Peterus monuit[62]); itemque totum caput 40 spirat scriptorem Pompei studiosum, totum caput 42 admiratorem Luculli. Illum intelligo Posidonium (v. s.), qui saepius ut in exordio ita in fine materiam praebuit Plutarcho[63]), hunc suspicor eundem, quem modo dixi Nepotem, nisi forte haec illave Plutarchus e collectaneis suis hausit. Utcunque est, certi quidquam vix afferri potest, quia et plurima Posidoniana et Nepotis de Lucullo vita perierunt.

Malo igitur cum Academicis ἐπέχειν quam temere iudicare. Hac tertia quoque particula, quoad eius fieri potuit, absoluta iam tempus est quasi perorare. Nihil autem plus lucis affert, ut nodum explicemus, quam singulis Plutarchi capitibus singulos ascribere fontes, quos adiisse videtur. Sunt autem hi fontes:

c. 1. Posidonius verisimiliter; nonnulla e suo ingenio inseruit Plutarchus.

c. 2. Sulla; pauca adiecit Plutarchus, quae famae debuit.

c. 3. Sulla; pauca addidamenta philosopha Plutarchi.

c. 4. Sulla; rursus Plutarchus paucissima suo Marte adiecit.

c. 5—11. fons primarius, id est Sallustius.

c. 11. Sallustius nominatim citatur et corrigitur.

c. 12—16. fons primarius; c. 16 extr. verisimiliter Plutarchi sententia philosopha.

c. 17—23. fons primarius paucissimis aliunde adiectis; c. 23. etiam nonnulla ex Sulla.

c. 23—25. fons primarius; in c. 25. addidamentum Plutarchi philosophum.

c. 26—28. fons primarius. Antiochus philosophus fortasse

[62]) In eo autem peccavit, quod ex verbis „οἱ μὲν γὰρ ἐπαινοῦσιν — οἱ δὲ περὶ τὸν Κράσσον καὶ Πομπήϊον ἐχλεύαζον τὸν Λούκουλλον“ plures auctores coniecit. Nam „οἱ δὲ περὶ Κράσσον“ omnino non intelligendi sunt rerum scriptores, sed principes rei publicae eorumque asseclae.

[63]) vide iterum vitam Marii, Marcelli aliorumque.

per Sallustium; Strabonis et Livii iudicia verisimillime ex Plutarchi collectaneis allata.

c. 29—31. fons primarius; etiam ad extremum c. 31. Livius adhibitus est.

c. 32 et 33. fons primarius; in medio cap. 33 rursus Sallustius laudatur.

c. 34—36. fons primarius.

c. 37. verisimiliter e Posidonio.

c. 38. Posidonius et Cornelius Nepos, fortasse etiam alii.

c. 39. verisimiliter Posidonius; pauca Plutarchus suo ingenio narravit; nominatim commemorantur Tuberonis Stoici et Horatii poëtae de luxuria Lucullana voces; ille fortasse per Posidonium item Stoicum; hic, quem omnium Romanorum poëtarum solum apud Plutarchum invenimus citatum, illis temporibus nondum lectitari desitus ex memoria, ut opinor, laudatur.

c. 40. Posidonius aut quispiam alius Pompei studiosus.

c. 41. verisimillime Posidonius et Nepos.

c. 42. fortasse Nepos aut quis alius Luculli admirator.

c. 43. Nepos producitur testis et totum caput spirat Nepotem.

Postremo quae fides huic vitae insit, breviter adumbremus. Plutarchus tanto desiderio pristinae virtutis incensus erat, ut in deliciis haberet illustrissimorum virorum imagines depingere et tamquam exempla posteritati servare. Itaque cum iudicium ad honestatis magis quam ad artis rationes referret, semper quidquid opprobrio eorum, quos celebrabat, dictum erat, οὐ πάνυ προθύμως i. e. iudicio adhibito et collatis pluribus iisque probatis testibus recepit. Quare ut Livium et Posidonium plerumque respuit Pompeianos, ita totum se adiunxit Sallustio, quem tum demum deseruit, cum se ab illo desertum vidisset; nam etsi vita umbratili delectabatur, non adeo otio abundavit, ut omnes scriptores de unaquaque re consuleret, sed satis habere coactus est — praecipue in Romanorum vitis enarrandis — unum duosve largiores ac proposito suo idoneos fontes universe sequi et flosculos undique decerptos suo quemque loco vitis intexere. Unde e. c. factum est, ut proelii illius Tigranocertensis descriptioni (c. 28) iudicia Livii aliorumque adiceret; neque minus inde illa negligentiae indicia (c. 38 de Luculli in otium recessu, c. 42 de Luculli iteratis actionibus publicis) originem trahunt: quippe cum a Sallustio iam destitutus esset, huc illuc confugit, ut materiam supremis Luculli annis illustrandis colligeret. Praeterea Plutarchus in eo peccavit, quod, animos ut quam maxime moveret et ad honestum accenderet, nonnunquam res gestas auxit virorumque merita ac laudes amplificavit. Huc ea quoque referenda sunt, quae c. 31 de alterius proelii ad Arsaniam facti nobilitate tradidit. Ut alia huius benevolentiae tot signa mittamus, apparet satis Abbingium (ap. Volkmann, Leben, Schriften und Philosophie des Plutarch, Berlin 1873 II, 340) non temere iudicasse, cum diceret, Plutarchi in historia veri studio inter alia maxime offuisse summam ipsius humanitatem.

Nihilo minus Plutarcho gratias habere debemus, quod tam multarum tamque nobilium rerum memoriam condidit easque e locupleti auctore hausit. Nam Livii et Sallustii de his temporibus opera interierunt fere tota et quamquam sedulitate Orosii, Eutropii, Appiani, Dionis aliorumque nobis multa servata sunt, quae Livius haud satis integro iudicio de Luculli rebus contra Mithridaten, maximum suae aetatis regem[64]), gestis tradiderat, tamen saepe, opinor, dubii haereremus et illustrissimarum rerum ignari imperatorio Luculli ingenio minus quam par est tribueremus, nisi Plutarchus haec tanta pietatis suae erga singularia antiquorum temporum ingenia exstruxisset monumenta.

[64]) Plin. n. h. 25, 2.

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
0021107424
BRITTLE DO NOT PHOTOCOPY